

§. 4. Requirat itaque Sua Majestas Caesarea Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum, ne tales, contra Dominos ipsorum terrestres, defendat:

§. 5. Supradictorum Confiniorum etiam Capitaneis, tam Germanis, quam Ungaris, serio praecipiat; ut ab ejusmodi violentiis et damnis inferendis abstineant.

Domini Carolus et Ernestus Kolonichii, Fratres Domini Sigefridi a Kolonich similiter in Ungaros recipiuntur.

A r t i c u l u s 20.

Ad benignam porro Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis admonitionem; condignum habentes etiam respectum Status et Ordines, fidelitates et fidelium servitorum Magnifici Sigefridi a Kolonich, quae ipse hactenus indefesse et constanter praestitit: Fretique Status et Ordines, Fratres quoque ipsius Domini a Kolonich, Magnificos Carolum et Ernestum a Kolonich, vestigia ejus fideliter imitatueros; eosdem in coetum et numerum eorundem similiter cooptaverunt.

P A C I F I C A T I O V I E N N E N S I S A N N I 1 6 0 6 .

Ad nonum et Decimum.

Sacra Caesarea et Regia Majestas, Ungariam et Partes ei annexas, Sclavoniam videlicet, Croatiam et Dalmatiam, per Ungaros nativos et Nationes ei subjectas et annexas possidebit.

§. 1. Item, tam majora, quam minora officia Regni, etiam externa et Confiniorum Praefecturas; ex consilio Ungarico, Ungaris et Nationibus ei annexis idoneis, *) nullo interposito Religionis discrimine, conferet.

C O N D I T I O N I S P A C I S T U R C I C A E A N N I 1 6 0 6 .

O c t a v a.

Ut Jaurinensi Generali Capitaneo, similiter et Bassae Budensi (reliqui autem ab illo dependeant) et Bano in Sclavonia, reliquisque Capitaneis Supremis, ultra et Cis-Danubium; pro evitandis forte in Confiniis oriendis contentionibus et scandalis, omnis potestas detur: Quodsi autem aliqua magni momenti negotia intervenerint, quae per eos decidi non possent, extunc de hujusmodi uteisque Imperator requiratur.

*) Confirmatur; An. 1609. art. 24. Et novissime; An. 1741. art. 15.